



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VI. Beatam dicit Virgine[m] Aaron & Gedeon; quia est nova Virga & novum
Vellus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Virgo. Eccl. 24. *Ego Mater pulchre dilectionis et timoris.* Moyses virgâ silicem percussit, & aquam eduxit. Virgo laxea corda peccatorum reducit ad lacrimas. Virgâ Moyses divisit mare cum insequerentur Ægyptij. De Virgine ait *Chrysolomus serm. 146.* Nonne hæc exeuntem de Ægypto populum concepit uno utero ut emergeret cœlesti in novam creaturam tanta progenies.

5. Beatam dicit Virginem Noe; quia illius ortu
Misericordia est exorta.

Gen. 8. cœperunt minui aquæ diluvij mense septimo, nempe in Autumno. Virgo nata est in Autumno ut docet *Baron.* Inter cæteros fructus comprimit Noëmo apparuit vitis *Cantic. 7.* *Videamus si flores fructus perturixit. Alij legunt.* Si uva pusilla se aperuit. Uva pusilla, Virgo nata quæ læticiam attulit Noë. Aperuit se in actus fidei, spei, charitatis, si verum est quod statim in utero usu rationis sit dotata, atque Joannes Bapt. In quem sensum à quibusdam trahitur illud *Idiot. c. 1.* Quodcumque sapiens aut sanctum donum alicui Sanctorum tanquam datum est, Virgini non fuit negatum: sed omnia omnium Sanctorum privilegia & dona habet in se. *Damasc. tract. 1. de Nativ.* Vineam uberrimam S. Anna Mariam Virginem, Uvam sanctissimam protulit. *Petrus Damiani lib. 5. epist. 10.* Legibus cautum est ut tempore messis vel vindemiarum, nequaquam curarum litigia ventilentur, & quidquid tunc in tribunalibus definitur, omnia irrita censeantur. Ubi hæc Virgo apparet, justitia in misericordiam vertitur, & tanquam post diluvium recreari incipit. Virgo nascitur in Nazareth domo florum. *Hieron. in voc. Hebr.* Comparebit deinde in Bethleem domo panis. *Damiani serm. 1. de Niv.* Quis scit quoties refrigeras iram judicis cum justitiæ virtus à præsentia Deitatis egreditur? Per singularitatem ô Virgo in manibus tuis sunt thesauri miserationum Dei. Tu occasionem quæris salvandi miseros, & misericordiam effunderis.

6. Beatam dicit Virginem Aaron & Gedeon; quia est
nova Virga & novum Vellus.

Virga Aaronis prælusit Virgini, teste *S. Thoma* eò quod ipsa sit Mater Sacerdotis magni qui unâ hostiâ consummavit & pacificavit omnia æternâ redemptione inventâ. Virga illa sine frutice fronduit, floruit, simul fructificavit. Virgo S. sine semine virili simul Infantem & Virum edidit. De illa *Epiph. Virgo*

est Virga Aaron per Spiritum S. efflorescens. Cùm vidisset Moyſes subitò effloruisse virgam amygdalinam, & cum turgentibus geminis fructus attulisse, firmiter credebat, inquit *Greg. Niss. lib. de vita Moyſi*, quòd hoc miraculo sacerdos monstraretur. Nobis Maria Virgo summum Sacerdotem protulit. De eadem Virga *Bonav. spec. cap. 12.* In Virga Mariæ rectitudo, in flore corporis gloriosi pulchritudo, in fructu animæ ejus beatitudo figurantur. Virga hæc est Virga clementiæ. Cùm Gedeon juxta monitum Angeli *Judic. 21.* supra Petram carnes & azymos panes posuisset, Angelus summitate suæ virgæ tetigit holocaustum, ignis ascendit de petra & carnes azymosque panes consumpsit. Quo signo gratum Deo sacrificium Gedeonis significabatur, & simul futura victoria promittebatur. Nostra quæ offerimus Deo non erunt grata nisi manibus contingantur Virginis. Idem Gedeon extendit Vellus quod Virginem significabat, & factum est plenum rore cùm reliqua remaneret tellus sicca. Et postquam Vellus est impletum rore etiam terra cœpit conspergi. Virgo etiam non solum sibi sed & nobis gratias coelestes attulit.

7. Beatam dicit Virginem Elias, Isaias, Jeremias.
Quia illa est Scopus suarum Prophetiarum.

Quo Elias curru in cœlum subvectus, illo Virginem professus videri potest Currum sui ac peccatorum. *Joan: Geom: hymn: de B. V.* vocat S. Virginem Currum Eliæ rapidis virtutum quadrigis subvectum. Currus Eliæ totus ignitus ac ignis. Virgo per vehiculum Salomonis *Cant. 3.* depicta est, de quo ibi dicitur, illud de lignis factum Libani medium autem ejus charitate constratum, seu ut *legi: Hebr.* medium constravit carbone ignito. Isaias hinc Angelorum choros trifagium concinnentium audivit. *Isai 6.* Hinc videt disponentem Deum ut se mitteret Prophetam. Et ecce unus de Seraphim defert forcipe carbonem de altari quo ejus labia perpurget. Carbo iste consensu interpretum designat Christum, qui carnem Divinitate veluti ignis lignum animaturus erat. Mater Christi, ait *Methodius orat. de hypop.* Forceps erat carbunculi purgatorii. Purganda erant Prophetæ labia, nullus Angelorum ausus manu accipere carbonem, quia Christus ad nos purgandos non nisi per Virginem constituit venire. Et forceps quidem ille soli Seraphicæ manui patebat, ac Virgo omnibus. *Joan. Brustman Minorita in vita S. Lydvine scripsit.* Quòd cùm hæc Sancta triginta annorum Martyriam varijs vexata morbis subjicit, dicitur primis annis inter prima malorum tentamenta